

/ Admodum R^{de} Pater.

Quem mihi R.V^{ra} tam officiose commendat, is nihil a me petit, nisi facultatem veniendi ad Urbem. Scripsi igitur continuo litteras ad ipsum, eique licentiam veniendi libenter concessi. Scripsi
5 nuper per episcopum Tullensem librum R.V. iussu S^{mi} coepisse transferri in linguam italicam ex gallica: et quia opus tarde procedebat me ab ipso Pontifice petiisse, ut ex foliis translatis de toto opere iudicium faceret, sed tunc Pontificem precibus meis acquiescere noluisse. Post aliquot dies rogavit me Assistens Franciae
10 pater Ricchomus, ut iterum de re eadem agerem cum Pontifice, quod feci, et tum demum summus Pontifex assensus est, ut translatio cessaret, et liber recognoscendus traderetur duobus doctoribus Sorbonae, qui Romae degunt. Itaque spero brevi librum ad R.Vram, ut in lucem emitti possit. Videat R.Vra an opera mea utilis esse pos-
15 sit in aliqua alia re. Cupio enim gratificari ei cui tota Societas multum debet. Spiritualis miseria R.V. communis est mihi, et iis omnibus qui quomodocumque publicum negotium gerunt. Sed curemus, ut miseria ista, et afflictio spiritus temporalis tantum sit, requies autem et felicitas aeterna. Quod faciemus, si non respici-
20 amus personas hominum, sed in hominibus Christo Domino serviamus. Valeat R.Vra mei memor in sanctis precibus suis.
Romae die...